



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Lib. XLIII. Sella.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Sed quoniam superioris marmoris inscriptio quaedam habet, quae interpretatione indigeant, ut Centurionis signum apud veteres usitatissimum, & alia in dictionibus concisa, operae pretium visum est, ne quid à quoquam desideretur, totam eam explicare.

MARCO POMPEIO, MARCI FILIO, ANISIO ASPRO CENTU-
RIONI LEGIONIS DECIMAE QUINTAE APOLLINARIS CENTU-
RIONI COHORTIS TERTIAE PRATORIAE PRIMOLLARI LE-
GIONIS TERTIAE CYRENENSIS, PRAEFECTO CASTRORUM
LEGIONIS VIGESIMAE

VICTRICIS,

ATIMETUS LIBERTUS PULLARIUS FECIT

ET SIBI ET

MARCO POMPEIO MARCI FILIO, ET CINCIÆ
COLLIBERTÆ, ASPRO SATURNINÆ FILIO SUO,
ET UXORI SUÆ MARCO POMPEIO MARCI
FILIO COLLIBERTO ASPRO FI-
LIO MINORI.

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XLIII.

DE IIS QUÆ PER SELLAM, CURRUM, FULMEN
SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD REVERENDISS. PATREM NICOLAUM SCOMBERGUM
CARD. CAMPANUM.

Maxime vereor, sapientissime Pater, ne aliquando me tacito cogitationis convicio verberari, quod tua erga me beneficentia tibi conscius, totque insuper meritorum, quae à te summa semper alacritate profecta sunt, nullum adhuc grati animi signum in me conspexeris elucere. Scias tamen accidisse, non negligentia, non rusticitate, non ulla tuorum erga me meritorum oblivione, sed ob eximiam commodorum, quae abs te sum assidue consecutus, magnitudinem. Ea quippe vel singula, pro quibus immortales tibi agere gratias debuissim, ingenium ita meum obruere videbantur, ne poterim ulla unquam meditatione parem verborum copiam excogitare, aut ulla mihi in parte satisfacere. Dicendum enim erat, quanta me semper humanitate vir tantus amplecti perseveraveris, ut meorum omnium rerum patronus extiteris officiosissimus, ut vita dignitatisque, meae rationem omnem favore, presidioque tuo tuendam, juvandam, sustentandam, ornandamque, etiam susceperis: denique, auctor fueris, ut illustri adulescens Hippolytus, quem à summo Pontifice ejus patrio mihi regendum, instituentumque, mandari precumveras, me tandem egere vetuerit: unde factum, ut aliquando mihi asserere, & interimissa per tot annos studia repetere licuerit, quodque parturiebam opus absolvero demum sperem: quod omnium meritorum maximum semper appellabo. Nam etsi alia per jucunda saepe mihi fuerant, nullum tamen hoc utique opportunius accidit, neque commodius. Cujus quidem consilii mei majorem in dies singulos fructum voluptatemque percipio. Hinc enim evenit, ut nulla in amicos, quos mihi parva literarum commercia conciliaverant, non obscura forsitan extarent officia, dareturque interim occasio, ut meum summum ergate studium inciperem omnino patefacere, quod omnium maxime cupiebam. Parum enim eximiam ab illa mecum cogitasse, quae menti semper firmiter inhaerant, nisi res ipsa aliquo, ut ut fieri poterat, signo ceteris omnibus innotesceret. Visum itaque est unum de commentariis, quae per datum à te mihi orium

A conscripsi, de mysticis Ægyptiorum literis tibi, si quid hoc ad rem facit, dedicare. In eo continentur Cur-
 rus, Sella, & Fulmen. Sella, ut quies demum aliqua laboribus detur tuis, quos ut Rempubl. Christianam
 plerisque locis convulsam firmare, bonam orbis partem ambiendo, quaque ubiq; labefacta cerneves, pru-
 dentia consilioq; tuo resarciendo, colenti: Currus, in quo doctrina sapientiaq; tua sublimitas provebatur.
 Fulmen, quod tua sit indicium & claritas & fama. Dicent aliqui, impudenter à me factum, qui de pictu-
 ris, de signis, de artificum operibus instituerim cum eo fabulari, quem consiliarium, quem socium, ubi ar-
 dua quæ, res inciderint deliberanda, maximi quique principes sibi ad seiscere contendat: agnosco quidem
 hanc culpam, & ineptè fecisse profiteor, qui te nugis his obtundere cogitarim: sed mali & à te, & ab aliis
 desiderari prudentiam meam, quam nisi hoc qualemcumq; est, fecissem, memoriam, fidem, amorem, cultum
 & observantiam officium dentq; ipsum forsitan exquiri.

DE SEDE. CAP. I.

B Summorum Principum ornamenta, insigniaque & multa & varia fuisse, alibi recensuimus, sed nul-
 lum unquam sella sublimius, neq; augustius, neq; venerabilius habitum. Reliqua enim ad huma-
 næ tantum amplitudinis decus facere videntur, hoc ad divinæ propemodum majestatis honores pro-
 ximum accedit. Quare minime arbitror me operam elusurum si multa, quæ de sella dignitate tradita
 sunt à Veteribus, commentarium hoc collecta, si quis hujusmodi rerum cognitione delectetur, in
 promiscuo usu fecero, measq; super his lucubrations studiosis omnibus communicavero.

PERENNITAS. CAP. II.

Porro perennitatis, æternæq; quietis hieroglyphicum esse sellam, plerisque locis toto opere dispu-
 tatum est ex Ægyptiorum Sacerdotum institutis, eoq; præsertim loco, ubi sedentis Cynocephali
 significata percurrimus: sic enim eum statuebant, cum Æquinoctii quietem æqualitatemq; descri-
 bebant: quæ quidem necesse est ibi sit, ubi nihil subsultat quod alterum inquietet, sed omnia firma
 stabiliq; in æquilibrio conquiescant. Quinetiam Veteres Deum infantili ætate, utpote unicum, *Cynocephalus*
 atq; perpetuum rerum omnium principium nullo conficiendum senio, inter loti arboris ramos con-
 quiescere profitebantur: utpote qui divinitatem ex ipso sedentis habitu internocebant, quem nulla
 unquam posset inquietatio sollicitare. Numa Pompilius Jovi flaminem assiduam Sacerdotem insti-
 tuit, cui præter alia ornamenta sellam etiam decrevit, & duos illi comites, Martialem & Quirinalem.
 Quod vero ad firmitatem attinet, ejusdem Numæ præceptum fuit, ut Post adorationem federent,
 boni ominis causa, ut Plutarchus arbitrat, quo scilicet preces esse ratas augurarentur: Religionem
 hanc sella super, secuti plurimum sunt Romani Principes. Hinc Macrinus Imp. cum Bassianum An-
 toninum inter Divos referri procuraret, tum multa alia, tum præcipue duas etiam statuas sedentes
 civili habitu illi decrevit, Divos eos, ex eo quod federent interpretatus. Nasamones autem, quod
 ab obitu ad Deos evolare se arbitrabantur, eo quod fierent Divis ipsis propiores, cum morituri erant,
 inter expirandum sedere, ac sedentes etiam sepeliri volebant.

ÆTERNITAS. CAP. III.

Sellam hanc æternitatis signum occulta fide perspicimus in numo quodam in quo Romæ simula-
 crum est in sede cum ancili & inscriptione: ROMÆ ÆTERNITAS, cui scilicet Jupiter apud Virg. fa-
 teatur nec metas rerum nec tempora posuisse, sed imperium sine fine decrevisse. Nam & ipsum Ro-
 mæ vocabulum, nationes nonnullæ ex patriæ linguæ significatione æternitatem interpretantur. In *Mare. En. t.*
 numo cujus inscriptio est: CLOD. SEPT. ALB. AUG. idem simulacrum est sedens dextera genium por-
 rigens, lava vero jaculum terræ affigens, cum eadem Æternitatis inscriptione. *Alig. multi Romam Æternam dixer.*

VESTA. CAP. IV.

Eadem æternitatis significatio effecit, ut & Vesta per sedem exprimeretur, ut sella illi ante omnia *ἢ Ἐστία*
 dedicaretur. Itaq; Divis reliquis apud Platonem, Phædro, duodecim ordinibus domo digressis, ac *ἔν Ἰεῶν*
 alatum Jovis curram subsequentes, sola Vesta residet domi, eaque ubiq; sedens sculpi & pingi so-
 lita. Nam in Caligulæ numo gemmata sella sedens, dextera pateram porrigit, sinistra contum terræ *ἢ Ἰοία ἢ Ἐ-*
 affigit, cum eadem inscriptione, VESTA. In alio Titi Vespasiani, ipsi eadem sedens cum conto, dexte-
 ra genium sustentat: literæ, VESTA. In numo hoc inscriptio infernæ, in altero superne posita est. *ἢ Ἰοία ἢ Ἐ-*
 DOMUS.

DIVUS.

Caligulae & Titus Vespasiani numi. Julia Augusta & Faustinae Piae numi. M. Ant. Antonini Brit. M. Jul. Philippi numi.

Eadem species, uti superius de Bassiano dictum, relatum quempiam in Deorum numerum ostendit, quod ex inscriptione, quae est, **DIVUS**, intelligitur. Numus est cujus inscriptio, **DIVUS AUGUSTUS**, ab altera facie **DIVA AUGUSTA**, ipsa sella sedens conto innixa, dextera duas spicas porrigit. Juliae Augustae numo Dea signata est sella sedens, pinum dextera pratendens, Leone accumbente inscriptio, **MATER DEUM**. In Divae Faustinae Piae simulacrum muliebre est sedens cum lancea, signis ante affixis, quod pilam cui Aquila infidet porrigit, inscriptio, **MATRI CASTORUM**. Nam M. Antoninus ejus maritus Faustinae subito morbo exanimatam, divam a Senatu appellatam gratulatus est. Matrem vero castrorum ideo ipse vocitare solitus, quod eam secum & in adventibus habuerat.

SECURITAS. CAP. VI.

Cum vero proprium Deorum sit perpetua frui quiete neque illos humanae vicissitudinis casus in posterum expavescere securitatem invenias hieroglyphicè plurimum sella compositam. In M. Aurelii Antonini Brit. numo dea sedens caput manu suffulcit, dextera radum tenet: quae vero manus caput sustentat, eadem sellae innititur. Inscripção est, **SECURITATI PERPETUAE**. In altero Imp. M. Jul. Philippi Augusti Dea sedens est, quae dextera sagittam tenet, laevam supra caput tollit innixam sellae. Inscripção, **SECURIT. ORBIS**. In numo quodam Imp. Neronis Caesaris Aug. P. M. TR. P. P. P. Dea sedens ara apposta, radium laeva tenet, dextera caput ab occipite sustentat, cum inscriptione **SECURITAS AUGUSTI**, quod mihi reducit in memoriam dictum illud: *In uramq, aurem quietere.*



CONGIARIUM. CAP. VII.

Clodii Pupienii & Domitiani numi.

Jam & congiarium dari solitum simulacris tribus pro tribunali sedentibus, in numo Clodii Pupienii Jernitur. Et in numo Domitiani Cos. XIII. congiarium ipse sedens populo elargitur, cum inscriptione, **LUD. SÆC.** Aedes vero juxta sita est, & in tribunalis facie literae appostae sunt, s. v. f. p. d. quorum sententiam ita reperi à nonnullis interpretatam, *Sedem vocis firmam primo decennali.*

ÆDITUMUS. CAP. VIII.

Psal. 69. Thronus gloria quid. 1. Reg. 22. Ecol. 5. Jerem. 17.

Æditumum quoque significaturi Sacerdotes iidem Ægypti, hominem pro templi foribus in sede statuebant, eo amictum indumento, iisque gestaminibus ornatum, quae late Eusebius lib. II. de prep. Evang. recenset, ubi templum Serapidis describit, & custodes hos ipsos pastophoros enumerat, à Sacerdotali scilicet habitu sic cognominatos, à Latinis alias æditumos, quasi ædium indumos, alias ædituos, à tuendis ædibus appellatos, ut apud Charisium est. Prævidit David principes Sacerdotum è Judæis futuros, qui adversus Christum insurgerent, cum dixit: *Adversum me loquebantur qui sedebant in porta.* Nam & idem mos pro templo sessitandi, apud Hebraeos etiam fuit. Sed cur ab Ægyptiis, à gentibusve aliis exempla querimus, cum Divinae ubique literæ de throno Dei tam multa protulerint? Vidit enim Michæas *Deum Israel sedentem in sede sua*, & Esaias, *Dominum sedentem super thronum excelsum atque sublimem*, & apud Hierem. *thronus gloriae exaltatur ab initio locus, sanctificatio nostra, sustentatio Israel*: quae quidem omnia firmum & stabile Dei significant imperium: & ut inquit Adamantius, sive de Christo volueris ista intelligere, non peccabis: sive de Patre, non impie senseris: est enim thronus gloriae excelsus & à principio, Assertor noster: propterea regnum ejus & sanctificatio nostra Christus est: quia & ille sanctificans, & nos sanctificati ex uno omnes sumus. *Ideo vero eum sedere dicimus*, ait Euthymius, *quod hinc Regiam ejus dignitatem stabilitatemque, & venerabilem judicis auctoritatem imaginatur.* Ita sedere super sedem suam dicitur Deus, qui late Dominus super omnes gentes regnat. Quin & malignus cum Scythas, Turcas, & plerosque alios à Septentrione barbaros, alios impios, alios hæreticos sibi addicendos præ sagisset: *Ponam, inquit, thronum meum ad Aquilonem*: inde enim mali genus

Alienus omne, per tot atates, per tot secula, in quietioris vite provincias continenter effluxit. Cum vero super Cherubim federe ponitur Deus, intelligitur de summa scientie plenitudine, que tum Angelis, tum viris insigni pietate preeditis superastiit, de qua Salomon Proverbiis: Anima eius sedes Cap. 24. sapientie. At scabellum a somno sede diminutum, humilitatis & subjectionis, inquit Eucherius, indiciu est, ut in Psalmo: Donte ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Accipitur & pro Christi humanitate, ut: Adornate scabellum pedum ejus. Nam & pedes pro Filio ponuntur in Divinis, sicut Patet, de quo loco suo.

DOCTRINA. CAP. IX.

Plerisque vero hieroglyphicis cathedra doctrine significatum habet, atque ita D. Hieronymus, & Per cathedram quid. Mact. 23. plerique omnes interpretantur locum Evangelicum: Super cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisei. Ita illud Psal. 1. Et in cathedra pestilentie non sedit, quod pro doctrina non sana interpretatur Euthymius, Hæreticorum ait Eucherius: beatiq; porro illi habentur, qui pro sceleratis non steterint, & cum impiis atque perverfis minime sederint. Quamvis pro pestilentia nonnulli accipiant, derisores, & pro cathedra, societatem ponant: ut sit, neque commercium habuit cum iis quorum ingenium & doctrina omnis eludendis decipiendisq; mortalium animis exercetur. Quod vero Paraphraste nonnulli scripserint, neque focus fuit eorum qui studio faciunt male, multo minus eo demerentia pervenit, ut impostorum illi vita placuerit. Latinum est omnino: Assidere cupiam, pro socium esse, vel similem, vel imitorem. Hinc Horatius in Epistolis.

Parcus ob heredis curam, nimiumque severus Affidet infano.

hoc est, par, vel focus, aut similis est infano. Sunt qui cum superiore significato consentientes, per cathedram hoc loco perseverantiam, & firmitatem in malis operibus significare velint. Nam desiderare, unde deses & desidia contationem indicat hujusmodi.

CONSULTATIO. CAP. X.

Quin & consultationem per seium ex Aegyptiaca doctrina significari manifestum. Vulgatumque apud nos illud de Romanis, Sedendo eos vicisse, quod ea consilia referunt eruditi, ut apud Plautum is, qui nimio plus sapere se sedentem asserit, & quod apud Maronem: Turnus sacra valle sedebat, legitur, exponit Servius, federe est consilium capere. Multaque apud alios etiam in hanc sententiam. Non otiose positum est in sacris concentibus, Psal. XLIX. Sedens adversum fratrem tuum obloque- ris, id enim κατὰ λαλῆς indicat. Sedens, hoc est, consulto, non subita ira aliqua percitus, non dolore concitatus, non repentina aliqua re commotus, sed animo conquiescente, & sponte de calumniis agitante, vel aliquid quod obesse posset, excogitante.

CESSATIO. CAP. XI.

Neque desunt, qui federe pro cessare ponunt, Horatium secuti, qui de pusillanimo dixit:

Sedit qui timuit, ne non succederet. Epistolarum. lib. 1. epist. 17.

Ut stare, ad expeditionem, paratum esse interpretantur. Ita Maro:

Stat ferri acies mucrone corusco, Stricta parata neci.

Ita pro deside sedentem, vel qui nihil attentet, intelligunt.

OPIS IMPLORATIO. CAP. XII.

Illud non omiserim, implorantium opem fuisse morem apud hospites, quos adissent, in foro consistare: quod apud Alcinoium fecisse Ulysem Homerus scribit, neque dissimulavit Apollonius. Et Martii Coriolani patria profugum, Actii Tullii Volscorum Principis supplicem factum ad forum sedentem scribit Dionysius Halicarnassensis. De Themistocle quoque in exilium abacto, talia invenies apud Græcos historicos.

ÆDILIS CURULIS. CAP. XIII.

Erant vero sella eburnea proprium Ædilium Curulium hieroglyphicorum, quod quidem quoniam etiam aliis aliquot Magistratibus debebatur, animadvertendum apud Plutarchum in Mario, duos apud Romanos Ædilium ordines fuisse, quorum alter sella, quæ curvos pedes haberet, utebatur, in qua sedentes jus dicebant, huicq; honori aderat Magistratus nomen, Inferiorem, alterum Popula-

rem vocabant. Quod si quis à majori honore decidisset, rursus ad alterius petitionem accedere con-
fuerat. Pauloq; infra: Marius cum ad Herennium responderet, huiusmodi fellam ἀγυλοπύδα me-
morat, quæ cuiusmodi esset, in numismatis intueri licet: duæ enim huiusmodi causæ habentur super
tribunali, in M. Platorii Æd. Cur. nummo, ut omnino inde qua fieri specie solerent sella illæ conspicui
sit. Magna autem ambitio Romanis fuit eburneis huiusmodi sellis ad clarissimos quosque Reges,
quorum amicitiam sibi conciliaissent, dono missitandis. Inter ampla quippe dona, quæ Masinise
Numidarum Regi missa sunt, sella etiam Curulis fuit. Ad Syphacem quoque cum donis aliis sella
missa, cum is se Carthaginensibus inimicum, Romanis amicum per legatos professus esset. Et Ptole-
mæo Egypti Regi, cum legati ad commemorandam renovandamq; amicitiam missi sunt, tulere do-
no, togam, & tunicam purpuream, cum sella eburnea. Et Consules, cum Magistratum inibant in sella
eburnea federe solebant. Unde apud Ovid. in Fastis:

Et nova conspicuum pondere sentit ebur.

Sed hæc missa faciamus, quæ omnium sunt historiis pervulgata: currumque protinus à sella ipsa
infiliamus.

DE CURRU. CAP. XIV.

Proximus ad sedem accedit currus, multis & ipse hieroglyphicis insignis, quæ commemorare in-
signiti propemodum operis labor esset: ledenim ea tantum recensebimus, quæ vel in numis, vel
auctorum de vetustate libris comperiuntur, & si qua facient ad pietatem, nequaquam dissimula-
bimus.

TRIUMPHUS. CAP. XV.

Sane constat, apud Romanos & gentes alias currum Triumphus significatum habuisse, cuiusmodi
victoriarum monumenta passim in numis, in aris, in arcibus conspiciuntur. Iis autem qui trium-
phassent, statuae in curribus ponebantur, quæ ob id triumphales appellatae sunt. Earum vero statua-
rum ornamenta erant, quæ Livius enumerat, Corona aurea, sella Curulis eburnea, eburneus Scipio,
rota picta, & palmata tunica. Sellam autem Curulem ea de causa dictam volunt, quod curru honoris
gratia soliti erant in Curiam vehi Senatotes, qui Curulem magistratum, hoc est, majorem honorem
cessissent, in quo curru sella effert, supra quam considerent.

AMPLIATOR IMPERII. CAP. XVI.

Triumphalis autem effigies Romæ iis omnibus decreta est, qui fines Imperii ampliasent. Au-
gustus vero memoriæ Ducum, qui populum Romani Imperium ex minimo maximum reddi-
dissent, proximum à Diis immortalibus honorem præstitit: itaq; & opera cuiusq; manentibus titu-
lis restituit, & statuas omnium Triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, professus ed-
dicto, commentum id se, ut illorum veluti exemplar, & ipse dum viveret, & insequentium atatum
Principes exigerent à civibus.

MARITIMA VICTORIA. CAP. XVII.

In numo M. AGRIPPÆ COS. III. ab altera facie Neptunus est Equos agens flagello sublato, ipse
currui cymbæ speciem præ se ferenti insistens. Cymba inter utrumque Equum sita. In puppi ejus
navigii avis est alis surrectis quæ Aquilæ speciem refert. Literæ, HIC OMNIPOTENS ÆCORIS. Unde
apud Horatium illud: *Suspendisse potenti vestimenta maris Deo*, ubi animadvertendum est C, literam
apud nos ordine tertiam pro Q, positam more majorum, qui Q, literam olim excludere, ut Vellius
Longus attestatur, neq; Nigidio Figulo in commentariis suis unquam posita est, teste Victorino. No-
mi vero huius species nimirum victoriam ab Agrippa contra Sex. Pompejum partam ostendit, quam
Maro etiam celebravit in Scuto:

En. lib. 8.

*Parte alia ventis & Diis Agrippa secundis
Arduus agmen agens, cum belli insigne superbum
Temporibus avari fulgent rostrata corona.*

Ibid. lib. 9.

Sunt etiam numi alii in victoriæ huius memoriam cusi, in quibus trirèmes tridentalibus rostris
præditæ conspiciuntur, ut tandem aliquando Virgilianum illud incolumitati suæ restitaturus,
Rostrata

Rostriq; tridentibus, de quo in iis quæ circa Virgilianæ lectionis castigationem olim elucubravimus, plerique dubitant.

IMPERIUM. CAP. XVIII.

Imperium autem, aut summam rerum, speciosioresq; magistratus, aruspicina quoque per currum significavit. Nam Tarquinius cognomento Superbus cum adhuc Romæ regnaret, & Jovis Capitolini templum pene absolvisset, currum quendam fictilem Thuscis quibusdam ex Vejorum gente figendum locaverat, quem cum jam confectum figuli in fornacem intulissent, non ut reliqua fictilia humore expresso exiliior evasit, quam impositus esset: sed fermentati panis instar intumuit, eoque magnitudinis concepto robore duritiaq; increvit, ut vix sublato fornacis culmine, parietibusq; disjectis, educi potuerit. Consulti super hoc aruspices, responderunt, apud quos ejusmodi currus aservaretur, felicitatem & imperium iis portendi.

NUPTIÆ. CAP. XIX.

Ejusdem boni ominis causa, & aucupanda felicitatis affectatione institutum apud veteres erat, ut **N**ova nupta curru vecta traduceretur: quod Hesiodus, sive is Aristophanes Grammaticus fuit, Scuto Herculis ita describit:

*Τὸ μὲν γὰρ ἐκὼν ἔειπεν ἄνθρωπος ἦγον
Τ' ἀνδρῶν γυναικῶν, πολλὰ δ' ἕμεναι ὀρέσσει.
Hi curru in vestram geniali virginem amanti
Induxere viro, passimq; Hymen Hymenæus*

Excitus cantu.

Et ligneum sponsæ simulachrum Citheronis consilio fabrefactum, pro Asopi filia suppositum, & in curru constitutum ab Jove reperiatur: quo Junonem, quæ divortium fecerat, illuderet. Eo vero nuptiali curru tres tantum vectari solitos, Sponsam, quæ federet in medio, Sponsum & Parochum, Pausanias tradit. Parochum eum nimirum intelligens, quem nos hodie anuli maritalis Compatrem appellamus: *παροχοὶ γὰρ ἑστῶσάντων ἑστῶσάτων, καὶ οἱ συμπροσόντες τῇ νέμῳ ἐπὶ τῷ ζεύγος καὶ ἑστῶσάτων.*

TERRA. CAP. XX.

Quod vero Cybelem curru in vehi finxerunt, cum eadem & tellus sit, terræ ipsius libramentum in aere pendens indicare Lucretius putat:

*Hanc veteres Grajūm docti cecinere Poëta,
Sedibus in curru bijugos agitare Leones,
Aëris in spatio magnam pendere docentes*

Tellurem.

Lib. 2.

Illud addam, ex iis quas rerum natura partes habet, uni illi veteres maternæ venerationis merito cognomen indidisse, quando ita hominum illa mater, ut cælum Deorum, habita est. Hæc nos nascen- *A Plinio lib. 7.* tes excipit, natos alit, semelq; editos sustinet semper, novissime complexa gremio, jam à reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operiens. Quod si quis causam quæsierit, cur turrato capite con- *Tum quod Kóβητα ἢ πῖα ἀνεστὶ τὰ κέβητα ὄρη, Cybeli Rheæ à montibus Cybelis dicta.* spicua sit, eam Lucretius rationem in hunc modum expressit lib. 2.

*Muraliq; caput summum cinxere coronas, Quo nunc insignis per magnas prædita terras
Eximius munita locis, quod sustinet urbes, Horrificæ fertur divina matris imago.*

In editis enim & excelsis locis urbes ponere antiquis mos erat, non tam alterius diluvii metu, qui **D**iu mortalium mentibus insedit, quam ut difficilius hostibus accessus foret.

BATTI NAVIGATIO. CAP. XXI.

Erat Delphis Batti effigies in curru, quem Cyrenenses dedicarunt, posteaquam is navibus in Li- byam trajecit. Auriga erat Cyrene: Libia vero capiti coronam imponebat. De Batto autem qui Thera in insula pulsus, Apollinis oraculo in Libyam profectus, Cyrenaicis rebus originem auspicatissime dederit, alio loco diximus copiosissime.

CIRCENSES. CAP. XXII.

Ludos Circenses per bigas & quadrigas, quæ tot numis signatæ sunt, significari, satis omnibus linnotuit, univèrsa Græcia cum Romanis eo spectaculorum genere per multa secula detentis.

Id autem honoris habitum aurigarum factionibus, ut in victoriarum eorum memoriam nudi ipsi & bigati, & quadrigati cuderentur: de quibus in vita Veri apud Julium Capitolinum legas, postulatium interdum à populo Praefiniorum aureorum modium propter Equum ex factione Praefina, cui Verus impotenter favit. Ubi cavendum ne, ut aliquot habent codices, Parsimanorum legas, aut quid hac locutione corruptius: sed veluti Capitolinus à Veneto, Venetianum fecit, ita Praefinianum à Praefino deduxit.

AURIGA COELESTIS QUIS. CAP. XXIII.

IN Cælo quoque Aurigæ species ostenditur, de quo ita Theon in commentariis Arati: *Fabularum scriptores, inquit, Aurigam eam, qui celo adscriptus est, imaginem esse dicunt Bellerophonis, vel Trachinæ, qui Calisthea filius fuit: solemnique huius rei sacra in Agris primum instituta, quod primus iunxit currum. Sunt tamen qui putent Myrtili, sunt qui Cillantæ, qui Pelopis auriga fuit, sunt qui Oenomai figuram esse contendunt. Atque ita Græcia demum est in unaquaque re contentiosa.*

DIVINA MAJESTAS. CAP. XXIV.

SEdenim cur nos mortalium fabulas æquo curiosus prosequamur, cum Deus Opt. Max. sua se conspicuum autoritate nobis exhibeat? cuius summa majestas, qualisque videri cœlicolis & quantalibet solet invenitur curru, non eo in quam Platonico, in quo *μηδὲ μέγας ἡγεμὼν ἐν ἀρχαῖς ζεὺς περὶ αὐτὸν ἄγων ἄγρια πορεύεται*, sed de curru loquor quem Hetruscorum monumenta observanda nobis veritate ostendere, quem ex Aramæorum arcanis profundissimæ doctrinæ vir Ægydius Viterbiensis, in circum ætate nostra primus induxit. Verum super hoc quædam altius repetenda sunt. Aramæi unum eundemque librum duas esse leges dixerunt: alteram scriptam, alteram à Deo Moyfi traditam: illam populis, hanc sapientibus: illam proverbii rerum humanarum, hanc lucis rerum divinarum formam gerentem, in illa historiam orbis conditi atque administrandi, in hac formulam adumbratæ atque ad effigiem expressæ divinitatis ostendi. Duo itidem Plato regna commemorat, Jovis & Saturni, regnumque Saturni regno Jovis tamquam feliciter anteponit: si quidem sub Jove, actio vitæ humana, sub Saturno vero contemplatio divinorum significatur. De quorum temporum felicitate Platoniam ita sententiam Maro mihi videtur expressisse, ut cum Platone currum agitet ad palmam. Ait enim:

Georg. lib. 2

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat: in medium querebant, ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Predarique lupos iussit, pontumque moveri,
Mellaque decussit, foliis, ignemque removit:
Et passim rivis currentia vina repressit,
Ut varias usus meditando extenderet artes
Paulatim, & sulcû frumenti quæreret herbam:
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem:
Tunc alnos fluvii, &c.

Mox de Jove:

& quæ plurima de humanis fere omnibus negotiis subsequuntur. Hunc imitatus Naso utriusque regnum ita describit:

Meta. lib. 1.

Aurea prima sata est ætas, quæ vindicæ nullo,
Sponse sua, sine lege fidem, rectum colebat:
Pana, metusque, abeant, nec verba minantia fixo
Aëre ligantur, nec supplex turba timebat
Judicis omni sui, sed erant sine iudice tuti.

& quæ multa prosequitur.

Sed

A Sed ut ad rem nostram convertamur, utrumque duobus nominibus appellat Hebraus, illud opus BERESCIT, ac creationis hocopus CURRUS, & arcanae intellectiois. Legis igitur secundae hujus quae arcana est, per Messiam & suos aperienda, per speciem Currus apud eos conscribitur *isegylu-
ציקל*. Currum hunc Ezechiel quatuor ex imaginibus excogitavit: vidit enim in divina luce tanquam ideas quatuor, atque iis veluti gemmis ac sigillis, formati à Deo sunt Angeli quatuor, omnium caelestium mentium & Duces & Principes. A dextera Dei gemma ea prima est, unde pulchra, grata, letaque omnia proveniunt: eamque vim Michaelem vocant. A lava gemma altera est, unde fortia, dura, castigataque; manant, ea Gabriel nuncupata. Mixtum ex iis medicina & temperamentum Raphael. Quarto denique loco Uriel tertae proximus horum trium veluti dispensator. Ita Michael & Gabriel pro duabus rotis, Raphael pro sella, quae sit media inter rotas posita, Quarta Uriel pro axe, circa quem fabrica hujus est totius fundamentum. Duo illa priora nonnulli Brachia vocant: tertium & pectus & zonam: quartum tamquam vel pedes, vel pedum scabellum. Idcirco dictum ajunt de Imperio Romano Hierosolymae everfore, *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Graeca Theologia B Michaelis vim in Deo vocat Venerem, Gabrielem Martem, Raphaelem Jovem, cui sella proprie dicata est. & Solem quartum foeminae marisque vim habentem, omnis plane generationis initium, & Urielem nominat & Adonin Hebraus. Orpheus ea quatuor uno refert versu, quod mas, quod foemina, quod rerum genitura, quod Adonis:

Currus Ezechielis.

Κάθη καὶ κόρε σὺ πᾶσι γὰρ αἰ ἐν ἄδωνι.

Ut non ita commenticia esse videantur ea, quae Plutarchus de Bacchi cultu apud Judaeos observavit, & in Symposiacis late disputavit. Eorum enim scenopegia in Bacchi celebritatem fieri putat. Adonimque & Bacchum eundem esse. Rotis quatuor, sive gemmas, sive currus ipsius partes, aut membra libeat appellare, quinto adjiciunt loco Nurielem tamquam temonem, cui alligatus trahitur currus. Atque quinq; haec divini currus nomina alto mysterio una locutione scribuntur in Canticis: eam nostri ascensum purpureum interpretati sunt. Salomon scribit currum hoc modo: ARGAMAN. Prima litera fit Uriel, per A enim illi scribunt. Sequenti R, Raphael. Tertia G, Gabriel. Quarta M, Michael.

Michael. Psal. 89.

Quinta S, Nuriel. Neque sum nescius, Hebraeorum quorundam juniorum super Angelis, Planetisq; signis, quibus imperitent, commentationes longe diversas esse, aliterque tradi in diurnis illis supplicationibus, quae secundum doctrinam Cabalisticam instituta dicuntur: caterum Astrologos hi potius quam Theologos secuti mihi videntur, qui Michaelis in Deo vim ita interpretantur, ut nomen incomparabile significare dicant. Unde illud in Psalm. citant: *Deus, quis est similis tibi?* Mercurium & Planetis huic ministrum esse, fandi & agendi potentem, divinaeque & humanae naturae totius interpretem: cujus latiores receptus sint, sive (ut Graeci dicunt) *οικονομῶν*: è caelestibus signis Gemini atque Virgo: hujusmodique genio die quarta preces allegandas. Et nostri Michaeli munus illud attribuunt, quod Mercurio Graeci veteres: qui scilicet animas caelo inferat, atque alias sub tristia tartara mittat. Ad haec trutinam in manu ejus statuunt virgae loco, ut pote, qui merita inquirat, bona malaque compenset, proindeque ut ut quisque apud superos vixerit, aut poenis, aut praemiis afficiatur. Sed antequam à Michaele discedamus, quamvis cupiam *καὶ πᾶρεργον* dictum videatur, praeterire nolo id, quod Rabi Tedacus Levi libr. de duodecim numerationibus ait, Michaelem Occidentali vento praepositum, ut magna mihi de causa institutum à Gallorum pietate videatur, quod

Torquatus ordo Gallorum D. Michaelis.

D ad nostra tempora magno cultu perdurat, honoratissimum ordinem cohortis Regiae D. Michaeli dicatum esse. Sed ut revertamur, Gabrielem isti Deum fortem interpretantur, minoris tamen cuiusdam fortitudinis esse. Lunam è Planetis huic ministrare, cujus gratissimum hospitium Cancer esse perhibetur, secundaque ille die supplicandum. Ex Raphaelis nomine atque vi, rerum ajunt omnium medicinam emanare. Esse hunc Solem ipsum, qui & Phœbus. Nam is apud Ovidium dicit, *Inventum medicina meum est.* Leonis unius domicilio gaudere: prima illi de vota concipienda, nuncupandaque. Ac, ne Apollinis & Aesculapii fabulas irrideamus, Jovis filius Apollo censetur, hujus vero Aesculapius: ipsa nimirum Theoretice, quae intellectum illuminat, Apollo est, Aesculapius ars ipsa. Unde Maro:

Raphael. Metam. 2. l.

Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris



*Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicine talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias destruxit ad undas.*

Z. mach. Arsigitur Æsculapio attributa, per quam bona comparatur valetudo: utpote quæ in curatione ipsa versetur. Est & Zamael, cujus munus ulciscendi, venenaque dispergendi esse perhibent, uberrimè illi bonorum omnium largitioni semper oppositus. Martem hunc esse Græci volunt, Arieti & Scorpio præfectum: tertia illi die preces faciendas. Nanaelem mox enumerant, in nomineque id esse significatum autumant, ut Deum benigne nobis omnia respondere, ac omnia ipso horreo mortalibus elargiri interpretentur. Esse hunc Venerem, qui Tauro libraque delectetur, sexta illa die supplicandum. Zachielem inde deprehendere, qui Dei justitiam, & quinta diei sacrificia, precesque procuraret: unde nonnulli quinarium justitiæ dedicarunt. Esse hunc Jovem, nam ut Maro: *Rex Juper omnia lucis curam gerere, eaque mortalium preces sibi deposcere.* Ab eo vim frigidam emanare, qua scilicet singula inferiori mundo concreta condenseantur. Nam uti calidi est dissolvere atque rarefacere, ita frigoris est solidare coagulareque. Saturnum hunc nostri vocant, qui Capricornum & Aquarium sedes habet. Sedenim ut in curru fati expatiati, metamque ipsam rite circumvecti, eodem, unde cursum auspicati sumus, revertamur, id aliqua egere videtur elocutione, quod à Platone regna duo posita diximus. Is siquidem multo ante tempore prælagisse videtur, quæ nunc demum speramus eventura. Mundi circuitum is ab Oriente ad Occidentem Jovis esse, ac perinde Fatalem dici. Appariturum vero olim alterum sub Saturno huic oppositum, ab occidente scilicet Orientem versus, in quo sponte nascantur homines, & à senio in juventutem regrediantur. Id ita Platonicè interpretantur, ut Jovem mundi animam intelligi velint, cujus lege fatali manifestus, hic manifesti mundi ordo disponatur. Præterea animorum vitam in corporibus concretis ab Jove esse, sensibusque & rerum agendarum studio deditam. Saturnum vero supremum inter Angelos intellectum, cujus radii animi etiam ultra Angelos illustrentur, accendanturque, & ad intellectum pollentem vitam continue pro viribus erigantur. Que quoties ad vitam hujusmodi convertitur, sub regno Saturni agere creduntur. Sub Jove vero, cum rerum humanarum negotiis implicantur: Plotinusque regnare nos ait sub hoc vel illo, prout secundum hoc vel illum egerimus. In hac autem vita sponte regenerari dicimur, nunc sumque juvenescere, ac in dies magis efflorescere, cum sana bene institutæ mentis optione ad meliora contendimus: de quo Paulus Apostolus: *Homo interior renovatur in dies.* Atque passim in divinis literis de juventute nostra, quæ sit ut Aquilæ renovanda. Quod si ullo umquam tempore spes affudit ut mortales hæc essent consecuturi, nunc sperandum maxime, cum eorum omnium ingenia, quæ alique veræ lucis fulgorém consecuta sunt, majorum nostrorum errores, qui tot annos uni tantum sensui adhæserunt, deprehendere jam inceptarunt, omnemque studiorum suorum conatum ad veritatem ipsam convertere, sanctioresque disciplinas adamare. Adjuvant insuper hanc proborum hominum voluntatem, sanctissimorum auctorum scripta, lucubrationesque & documenta, quæ de vetustatis eruta voraginibus quotidie prodeunt in lucem. Et jam ille minime censetur eruditus, quantumlibet Græce, Latineque sciat, qui Jovem scrutaturus caelestem non insiliat in currum, qui facta non attigit, qui divina non est imbutus disciplina, qui Christum atque adeo Christianæ institutionis volumina non assectatur, quid mysteria sibi velint non exquisierit, quaque ratione Deo animum asserere possit, inspicere neglexerit. Verum ille omnium optime peritus, qui lutosas, faceque conglutinatas alas in proflyente puriter abluerit, perpurgaveritque, à terraque sublatus caelestium Circensium pompam comitatus eo pervenerit, ubi sparsas manu veri Jovis fruges, donariaque percipiat, opipareque; & ipse & jugales excepti, amœnissimi lautissimique diversorii otio perfruantur: quod qui fecerit, dubio procul intelliget reliquas doctrinas omnes, studiaque omnium reliqua, nihil aliud nisi summam esse vanitatem.

DE FULMINE. CAP. XXV.

Jovem igitur in alta sede conspicuum alato in vecti curru consecuti sumus. Quo vero eum esse Jovem agnosceremus, nullum manifestius signum fuit, quam fulmen ejus manu prætentum: quare cum id gestaminis ad Jovem præcipue pertineat, non secus ac fella, de fulmine dicere, minime alienum est ab instituto negotio futurum.

JUPITER. CAP. XXVI.

Omnibus utique vulgatum est hieroglyphicum illud: Fulmen supremi Jovis gestamen esse. Sed ut ^{Jovi cur datum fulmen.} nunc fabulas dissimulemus, veram figmenti causam afferamus: si quidem hoc ipsius fulminis naturam exprimere videtur, quod quidem ita fit. Calor interdum per refrigeratum à ventis aëra conspersus, ubi contrariæ naturæ viribus sollicitari cœpit, sese in globum colligit, & adversus algorem validissime reluctatur: urget calor ventis ingruentibus, ille sese magis ac magis adstringit, quoque angustius premitur, eo validior evadit, ac simulac extremam intentari sibi vim intelligit, totis erumpit viribus, crassioreq; aere, qui circumfusus est, disrupto, viam sibi cum strepitu & incendio patefacit. Suprema vero illa pars elementorum, unde calor emanat, cum Jovi sit attributa, ideo illum vetustas, fulgura & fulmina ciere confinxit. Signaq; Jovis passim cum fulmine fieri consueverunt, cum uno quidem frequentissime: sed & cum duobus fulminibus aliquando Jovi statua posita est: ut apud Elidem Olympiæ Jovis Horcii nuncupata: ea quidem severa minacique effigie, utraq; intenta manu fulmina tenebat, juxta quam pugiles in certamen descensuri super mactati Porci exta jurabant, nihil se dolo malo facturos, aut secus quam Olympiæ leges paterentur aufuros.

FAMA LONGE LATEQUE PROPAGATA. CAP. XXVII.

Illud vero præcipuum fulminis significatum est, ut vocem procul auditam, hoc est, famam rerum ^{Varia fulminis significata.} gestarum longe lateque per immensa terrarum spatia diffusam expatiamque præ se ferat. Transiit & illustrem præclari facinoris memoriam, in longam annorum seriem propagatam. Ægyptii enim sacerdotes hujusmodi gloriæ amplitudinem ostendere si vellent, Vocem, ut ipsi dicunt, aeris quippe tonitrum, hoc est, ipsius fulminis imaginem describebant. Nihil enim magis, nihil validius, nec terribilius tonitru sonare constat. Eaque de causa Apelles pictor, (uti in Armorum commentario diximus) cum Alexandri effigiem pingeret, fulmen in ejus manu posuit, quo nominis ejus amplitudinem ex rebus ab eo gestis longe lateque propagatam, & memoria numquam intermoritura celebrem indicaret. Posita ea tabula (ut Plinius ait) in templo Dianæ Ephesiæ, 10. talentis auri picta. Eo vero artificio fuit, ut digiti eminere viderentur, & fulmen extra tabulam esse. Sedenim Lyfippus statuarius factum ut adulationis plenum improbavit, quare hastam ipse in manu Regis posuit: qui quidem, si vera quis de Alexandro, non fabulas conscripsisset, famam ejus ne una quidem atate super futuram judicaret, nedum id assequi meritus sit, ut divini honores ei decernerentur, datis ad Græciæ civitates literis, ut se decreto publico Deum instituerent. Ea res cum matrem Olympiam etiam offendisset, magnæ integritatis sceminam, Rex ipse ut inceptum excusaret, & institutum suum approbare, insigne volumen ad matrem suam conscripsit, ut apud Cyprianum legi: quo rationes multas ostendit, Regibus suis Apotheosin decernere, atque hinc majorum Regum memoriam servari, indeque colendi & sacrificandi ritum inolevisse. Sane quidem Athenienses ipsi, qui doctrina & sapientia semper insignes habiti sunt, cum XI. tantum Deos antea colerent, Alexandrum tertium decimum appellare, honoresque illi adhuc viventi instituire, qui tamen vulneribus sæpe confosus, morbisque tentatus, ac postremo vita functus, se mortalem ostendit, qui Deorum interim concilio adjectus erat. Quare Lacedæmonii literis acceptis, argute libereq; admodum more suo responderunt, ^{Nimirum Damis. Plutar. in Apph.} ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος θεός ἐστιν, ἔγωγε θεός, Quandoquidem Alexander vult esse Deus, esto Deus, quo decreto id declaratum voluere, nullam aliam fuisse causam, neque meritum aliud cur Deificatio esset Alexandro decernenda, nisi quod ipse ita vellet. Caterum is, qui adhuc vivens divinis honoribus inhæbat, ne communibus quidem post obitum justis honestabatur, ad gravissimam usque Olympiæ matris

matris lamentationem. Pervulgatum tamen apud multos populos & nationes fuit, Reges suos, ut nuper dicebamus, pro Diis colere. Nam & Romani non tantum Reges plerisque suos, verum etiam eorum uxores divinis honoribus honestarunt, & nonnullis templa, & sacra etiam instituerunt. Quantum vero pertinet ad fulmen, eo tolerabilius id Alexandro concedendum, quo insolentius Lyfimaachus ab Alexandri morte particulam ejus regni fortitus, non quam armis virtute sua illa subegisset, sed ex Regis tabulis adeptus esset, lancea caelum tangere se jaçabat: quod tantumdem erat, ac si famam astris terminare se diceret. Qua de causa Passades Byzantinus hominis vanitatem irridens, ad suos conversus ait: *Cavendum ne is lancea mucrone caelum medium pertundat.* Quodque impatientius aliquis ferat, Clearchus Heracleæ tyrannus fulmen gestavit, & ex liberis unum Ionitru appellavit. Quanta vero Clyti, quanta Demetrii fuit insolentia, quorum iste non magna admodum regni parte ab Alexandro accepta, Jovem se vocari passus est, responsa sua pro oraculis haberi gavissus: ille, quatuor ad summam navibus demersis, Neptunus vocitari voluit, tridentemque gestavit? Ut minus jam Salmonea miremur eo proventum infanix, ut flammam Jovis, & Olympi fortis imitaretur. Nam, ut apud Maronem:

Æt. lib. 6.

*Quattuor is in vectus Equis & lampada quassans,
Per Graium populos, mediam, per Elidum urbem
Ibat ovens, Divamq; sibi poscebat honores,
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum cursu simulabat Equorum.*

Fabula.

Longe vero felicius atque tutius Numa Pompilius eliciendorum fulminum rationem invenit. Nam cum quædam occulta sacra ad fulmina expianda noscere cuperet, Egeriam consuluit, quæ respondisse fertur, ut Aventinum peteret, & fontem, qui in antro quodam erat, melle & vino generosiore inficeret, quo solebant hora certa Dæmones duo subundi convenire. Hi erant Picus & Faunus. Curaret vero ille sibi latebras, in quas abditus ab advenientibus illis non conficeretur, ipse tamen fontem intueretur, disponderetque per fontis marginem retia, prout opportunum sibi videretur. His peractis Dii venerunt, & potus allesti suavitate multum ebiberunt: tandem sopore gravati ibidem, ubi consisterant, somno se prostravere, quos ita gravatos Numa impiecit in rete, qui videntes se captos, in varias se formas transformabant. Sed cum nihil quicquam proficerent, ad veras tandem effigies rediere, Numamque ut retia solveret oraverunt. Rex se non prius retia soluturum dixit, quam de placando Jove docerent. Illi & hoc docuerunt, quæ scilicet ratione caelo Jupiter eliceretur, quoque modo fulmen expiaretur. Unde Jovi Elicio nomen datum, cujus templum in Aventino positum, ubi res hæc contigerat. Scio fabulam importuno loco positam, sed quia non ita vulgata est, minime fuit dissimulanda. Ne vero nos alienæ gloriæ detractoribus favere videamur, Alexandro fulmen merito attributum dixerim, ea de causa, quod annos vix tres & triginta natus, celeritate mira Orientales fere omnes nationes subegerat, & Oceanum ipsum enavigaverat, ut non immerito, Cæsar, qui pari saltem animo ad eam rerum amplitudinem aspirabat, cum Gades venisset, animadvertens apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuerit, atque (ut Tranquillus ait) pertæsus sit ignaviam suam: quod nihil tum à se memorabile actum esset in ætate, qua jam Alexander orbem terrarum subegisset.

In Casare
c. 7.

CELERITAS. CAP. XXVIII.

Est enim fulmen ante omnia velocissima omnino celeritatis indicium, quam Poetæ cum volent exprimere, dicunt, *fulminis ocyor alis.* Idem ex antiquorum numis manifestum est: ut in eo cuius inscriptio est, Q. P. I. N. U. S., Equus habetur in pernicem cursum admissus, caudæ exporreçta, fulmine subsequente, lancea protenta, quod innuere videtur, provinciam susceptam summa celeritate peragrata, negotiumque quam ocyssime confectum. Nam & Ptolemæus, unus ex Aegypti Regibus, promptitudinis & audaciæ causa *νεογονος* appellatus est, ait Pausanias. Facit huic rei fidem numus alius, in quo caput humanum est, Capræ coopertum spolio, sub cuius jugulo fulmen est, & arcus ab occipite: ab altera vero parte Pegasus, cum sagitta subjacente, omnia uti palam est velocitatis indicia, cum præsertim inscriptio sit, Λ. Ρ. Α. Ρ. Y. De quo quidem Papyrio (qui ob mirificam in agendis rebus

Allestinationem atque celeritatem, Curforis cognomentum meruit) multa rerum scriptores memoris prodidere. Equorum porro velocitatem in Curuli certamine fulguri comparat Hesiodus Herculis Scuto, ubi dicit:

Ἰππὸν δ' ἰππεῖα θεῶν

ἵκελθ' ἀπὸ τῆς πατρὸς διὸς ἀργόχοιο.

Quem Statius secutus ait:

Illicet, igne Jovis lapsisque citatior Astris,

Et infestius idem Hesiodus de Equis in cursum à Pallade concitatis:

Ἰππὸν δ' ἀμῶδισ προσθρόν' ἵκελοι περὶ ἡὲ θυέλλῃ.

Quod proxime accedit ad Papiniani sententiam.

CELEBRITAS. CAP. XXIX.

IN Angurali disciplina fulmen tam in publica quam in privata opera vibratum, atque etiam per nocturnam imaginem in somniis visum, celebritatem nominis, & magnarum rerum auspicia facit. Nam Olympiæ Alexandri fulmen per somnium oblatum, futuræ in filio claritatis indicium fuit. Illa enim prior nocte, qua se viro adjunxit, existimavit facto tonitru in uterum sibi fulmen illabi, ex cuius icu magno excitato incendio, in flammam inde late diffusam abire visum. Quid vero hic memoriam Julæ filia Cæsaris monumentum icum fulmine? Quid Euripidis Poetæ Tragici, atque Lycurgi sepulchra de caelo tacta? Quid Veliternum murum? Quid Eutimi Picæ, aut Horatii Coclitis, aut Probi Imperatoris, aut Taciti & Floriani statuas eodem modo affatas? quæque huiusmodi exempla plurima declamatione, quam olim de fulminum significationibus edidimus, explicata sunt: quorum significata in hanc nominis amplitudinem accepta, tam Aruspicum responsis, quam eventis postea comprobata reperiuntur.

ELOQUENTIÆ VIS, CAP. XXX.

Quod vero de claris Eloquentiæ viris dictum, ut de Pericle & aliis reperimus apud antiquos, eos cedere tonitrus, & fulgura dispergere solitos, cum orarent, tanta erat animorum percussio & indigentium sententia motus, tanta verborum autoritas, de sacra dubio procul lectione metaphoram sumpserunt. Psalmo enim centesimo supra quartum & trigessimum canitur: *Educit nubes ab extrema terra, fulgur veritatis in pluviam.* Ubi per nubes viri sancti intelliguntur, per fulgura vero persuadendi vis, per pluviam eloquentia: de quo plura alibi, Et quod alibi. David: *Vox, ait, tonitru tui in rana,* eo hieroglyphico significat Evangelii voces, quæ de caelo divinitus intonaturæ essent, & universum terrarum orbem (id enim rota est) commoturæ attonitumque reddituræ. Eodem modo per fulgura verba Christi signari tradit Eucherius, eoque spectare Psalmi dictum: *Et fulgur multiplicavit, & conturbavit eos,* de Judæorum confusione, qui ei nulla in re unquam resistere poterunt. Et Hieronymus primis Hebræorum castris, *Ramesen,* tonitru gaudium interpretatus, divina verba, & quæ voces sunt in sacris literis, per tonitrum accipi docet, quod cœlitus editæ excipiantur. Fulminis vero radii descripti, quæ ipsæ coruscationes sunt, ad ejusdem Evangelii pertinent claritatem & tamam, de quibus Psalmo: *Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terrarum.*

CLEMENTIA. CAP. XXXI.

IN Antonini Pii, atque etiam in aliquot Nervæ numis cernere est fulmen in toto collocatum, quod manifestum & pulchrum admodum est clementiæ signum: arguit enim offendendi potestatem penes ipsum Imperatorem esse, verum ob ejus clementiam quiescere: quod perinde est atq; illud quod Apum regem ajunt aculeo quidem præditum esse, verum eum in vulnus numquam exeri. Primam vero hujus virtutis laudem aetate nostra tulit Julius Medices Princeps noster, qui simul ac bonorum in eum studiis inclinatis Pont. Max. electus atq; salutatus est, omnium statim, & earum quidem atrocissimarum injuriarum oblitus, iis omnibus evestigio pepercit, quos adversarios habuerat iniquissimos, quos hostes totius vitæ cursu perpeffus erat insensibilissimos, quique non bonis tantum & fortunis ejus, sed & vitæ modis omnibus infidati sapius fuerant. Quare Clementis nomen, ut tantæ mansuetudinis pignus perpetuumque monumentum, assumpsit, ita summa totius vitæ moderatione conservavit.

A a a a

servavit,

fervavit, req; probavit, ut Christianum demum Pontificem mortales intueri se profiterentur. Sed enim cum nobis de tanti Principis laudibus loqui non liceat, qui ejus auspiciis annos aliquot in hominum luce verfati sumus, negotium aliis relinquemus, eam fuisse nostri Principis clementiam proficilli, ut vel hostes ad eam æternis literarum monumentis celebrandum impulsura sit.

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XLIV.

DE IIS, QUÆ PER SOLEM, LUNAM, ET STELLAS
SIGNIFICANTUR

Ex Sacris Ægyptiorum literis.

AD JOAN. BAPTISTAM MONTANUM.

Scribis, Clarissime vir, vidisse te lemmata quadam me in breve admodum compendium redacta, de Hieroglyphicis, quæ per Stellæ apud Ægyptios sacerdotes, in doctrinarum suarum arcanis habentur: quod ut ad se mitterem Reverendissimus Cardinalis utriusque nostrum alumnus Hippolytus Medices, tantopere flagitavit. Adde insuper, cognovisse te rei istiusmodi argumentum non in ea tantum scheda contineri, sed à me longe copiosius conscriptum. Rogas itaque, ut rei totius Commentarium ad te mitterem. Nam quicquid erat ad figurarum tantummodo formam spectabat, quibus pictor uteretur in Julio illo sidere adornando, cujus celebritatem Hippolytus ipse tanto studio foret. Nimirum video te Montane eruditissime, Leonem ex unguibus æstimare voluisse: at in re me non Leo, sed Musculus continetur, qui se olim apud Mythologos pro Leone ausus est vendicare. Quantulumcumque tamen id sit, quod ego præstare potuerim, officii mei fuit, omni posthabita cunctatione, obsequi viro, tam à primis studiorum nostrorum annis amico, tum etatis totius demum cursu mihi semper admirando tam in Philosophia, quam artis Medicæ peritia, quam etiam in cultioris eruditionis elegantia, seu Græcæ, seu Latinæ quis poseat, politissimo. Accipies igitur Stellarum hieroglyphicæ, prout à me fuerunt interpretata. Sed nosti Stellæ sine Luna desolatæ quodammodo videri. Nam quo ille rerum quæq; suarum semina conspergant, nisi in Lunari orbis partissimum, ut ita dicam, horreum condantur, quæ postmodum illa quasi se questim terris demum indulgeat, aut potius uberrime largiatur? Sed neque Luna neque Stella sine Sole sui compotes esse possunt: quare Sol quoque his adnumerandus, imo anteponendus. Ridebis, scis, non erubescere me, quod ausus sim de Sole, de Stellis apud talem tantumq; virum totius Encyclopædiæ decus et ornamentum verba facere: sed id me consolatur, quod tu, ut hæc ad te darem, iusseris: quare si quid hæc attulerint tædii vel molestiæ, uni tibi qui crabrones irrimis imputato. Utcumq; si leges hæc, quæ sunt per nos in unum veluti corpus hinc inde collecta, opto non ea tantum quæ me longe accuratius legeris, in memoriam tibi reducant, verum etiam te Pierii tibi deditissimi memorem assidue faciant.

DE SOLE. CAP. I.

Cœlestium corporum, quæ die nocteque micant, significationes dicendi, rationi consentaneum esse duximus à Sole ipso dictionem auspicari: quando nisi Sol esset, neque Luna, neque Stellæ ullæ conspicuæ essent, ut doctrina est Astronomorum, & res ipsa indicat. Cum itaque Sol reliqua huiusmodi corpora lumine illustret suo, nostrisque videnda oculis offerat, ab eo, utpote lucis arbitro, initium merito faciemus.

Macrobius l. 1.
c. 2. in Somn.
Scip.

DEUS